

## XXXI.

R. 659 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 807. 12. per duas columnas nitidissime, sed perquam minute exaratus, coloribusque distinctus sacra *Biblia* versionis vulgatae Prologis *Hieronimi* et consuetis Argumentis instructa continet, de quibus sequentia notanda veniunt: *Fol. 274. p. 2.* Rubrica *secundum librum Esdre* notat, quamvis pagina superne *Neemie* inscripta sit; adest enim *Liber* etiam *tertius. Fol. 332. p. 2.* *Psalmorum* titulus est: *Incipit liber ymnorum uel soliloquiorum dauid de christo. Fol. 575.* *Machabaei* duplici illo *Rabani Mauri* ad *Lodouicum regem*, et *Geroldum sacri palatii archidiaconum* Prologo muniuntur. *Fol. 715.* *Actus Apostolorum Epistolis Paulinis* et *Canonicis* interponuntur. *Fol. 742.* Testimonium triplex *Job. I. c. 5.* ita habet a prima manu: *Quoniam tres sunt qui testimonium dant in celo. pater. uerbum. et spiritus sanctus. et hii tres unum sunt. et tres sunt qui testimonium dant in terra. spiritus aqua et sanguis. et hii tres unum sunt.* Postremum tamen *κομμια* punctulis subnotatum est tanquam delendum. Ad calcem accedunt primo *Interpretationes nominum hebraicorum*, dein *Lexionarium* Epistolarum et *Evangeliarum* per annum ab alia manu, in quo pro *Dominica I. Adventus* etiamnum adsignatur *Evangeliium Matth. c. 21.* *Cum appropinquasset Iesus Ierosolymis &c.*

## XXXII.

R. 31 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. nunc 265. f. per duas columnas literis densatis, atris exaratus, et rubricis distinctus *Biblia sacra* vulgatae interpretationis complectitur, ita tamen a Profanis male habita, ut evulsis foliis initium nunc fit a C. XXIII. *Exodi*, finis vero in C. VI. *Evangelii Iohannis*, adpareatque e relictis vestigiis, Interpretationem notam *Vocum hebr.* et *graec.* iis adjunctam fuisse. Exemplar in II. Partes dividi declarat *fol. 173. p. 2.* ubi legas: *Explicit prima pars sive medietas biblie (sic) scripta post secundam. in vigilia beati Luce ewangeliste. Vtraque per Bernhardum incepta. Per Temlinum vero finita, in Castro Strigonien. Anno domini M<sup>o</sup>. CCC<sup>mo</sup>. Nonagesimo quarto: Laus domino. Amen. Et caerulo: Explicit prima pars biblie. Amen.* Et recentiore calamo: *Collegij Christi Strigonien.* Procedit vero haec Pars ordine Librorum recepto, nisi quod *Paralipomenis* et *Esdrae* interjecta sit *Oratio Manassis*, Libro I. et III. *Esdrae* *Nehemias*, *Psalterium* desit penitus, et *Iobum*, qui finitus ad calcem dicitur *feria V. post natiuitatem christi hora uesperar.* continuo excipiat *Salomon cum Sapientia* et *Ecclesiastico*. Pars sive Medietas altera a *Prophetis* orditur *fol. 174.* deficitque, ubi supra indicatum est, Prologi *Hieronimi*, et nota illa argumenta passim Libris praefiguntur. *Demetrium* Card. Archiep. Stri-

*Strigon.* circa an. 1385. exaedificasse *Aedem Corporis Christi* tradit *Nic. Schmittb* in *Archiepp. Strigon. P. I. p. 210.* an vero illuc referendum etiam *Collegium Christi*, quod potius *Contubernium Juventutis scholasticae* innuere videtur, ignoro.

## XXXIII.

R. 2236 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 299. f. max. per duas columnas luculente per scriptus, rubricis distinctus et omnium Librorum initiis auro coloribusque splendidis, olim Bibliothecae *Episcopatus Neostadiensis* est Pars I. S. *Bibliorum* vulgatae interpretationis, ad quam sequentia observo. Gaudet ubique Praefationibus *Hieronymi* et consuetis Argumentis. Epistola ad *Paulinum* in plures Sectiones divisa est, quarum quaevis inscribitur: *Alius prologus. Fol. 218.* post *L. Nebemiae* sequitur *liber secundus esdre*, nempe tertius apocryphus. Post *L. Job fol. 255;* p. 2. haec minio: *Iste psalmus ideo non habet tytulum. quia capiti nostro domino saluatori de quo absolute dicturus est nihil debuit preponi. Sanctam enim eius incarnationis vitam impiorumque ultionem insinuat. Expectas Psalterium?* Sequitur: *Beatus vir qui non abiit in consilio. Parabole salomonis.* Codices Bibliici, qui *Psalterio* careant, haud admodum sunt infrequentes; quo vero consilio Rubricam hanc adpinxit Librarius? Post *Salomonis*

Libellos: *Et sic est finis prime partis byblie.*

## XXXIV.

R. 2237 Codex membraneus ejusdem rationis Folior. 299. cultu pauperior, incipit a IV. *Prophetis majoribus, minores, Machabaeosque* omittit. *Quatuor Evangelii* subdit *Actus Apost. Epistolas Canonicas*, ubi *Joh. I. c. 5.* Testimonium triplex ita confusum est: *quoniam tres sunt qui testimonium dant sicut in celo tres sunt. pater et uerbum et spiritus sanctus et tres unum sunt;* et *Apocalypsin.* Tum demum leguntur *Paulinae*, quas excipiunt notae illae *Interpretationes hebraicorum nominum*, et in summa ora pag. ult. habetur: *Anno domini M°. CCCC°. 39. factum est istud.*

## XXXV.

R. 2299 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 429. f. per duas columnas nitide exaratus, coloribus, et picturatis initiorum literis illustratus *Sacra Biblia* vulgatae interpretationis complectitur consuetis *Hieronymi* Prologis, et Argumentis instructa. Adest *Liber III. Esdrae. Psalterium* loco motum post *Prophetas* repositum est, et ad calcem habet *Syllabum* reliquorum *Canticorum sacrorum.* Ante *Machabaeos* Praefatio illa duplex *Rabani Mauri. Epistolis Pauli ad Coloss. et Thessalonic.* intercepta est spuria ad *Laodicenses. Actus Apost.* sequuntur *Paulinas. Testimoni-*